32

DISCURSUS

PHYSICO-MEDICUS,

DE

FOETIBUS LEPORINIS,

Extra Uterum Repertis;

Aliisque tàm de Leporibus, quàm etiam de Conceptione Extra-Uterina Raris & Curioſis.

Ad

VIRUM,

Titulis majorem,

Per Germaniam, imò univerſam ferè Europam, Celeberrimum, Optimèq; de Patria, literis, omnibusq; bonis, merentem,

DOMINUM

CHRISTOPHORUM WEICKMANNUM,

Reip. Liberæ ac Imperialis, Ulmenſis, Secretioris Conſilii, atque Supremi Judicii, &c. Adſeſſorem Graviſſimum, Prudentisſimum, &c. &c.

Dominum ſuum gratioſum: Fautorem magnum, Amicum obſervandum, &c.

ULMÆ, Typis Hæred. Chriſtiani Balthaſ. Kühn/
Anno M. DC. LXXX.

Natura latere vult multa, ut major ſit eorum ex occulto auctoritas & admiratio.

Ea eſt humanæ imbecillitatis, inter anguſtos limites comprehenſæ, natura, ut parturiat ſemper, rarò tamen aut nunquam, perfectum enitatur fœtum, embryonem duntaxat producens, cui tempus, ætas & Magiſtra rerum, Experientia, ultimam tandem imponit manum.

VAria hinc inde apud Auctores, nón ſolum jucunda, ſed etiam curioſa, de LEPORIBUS adnotata reperiuntur, quæ partim veritati conſentanea ſunt, partim ab eâ aberrare videntur, partim etiam ab illa longe aliena ſunt.

A plurimis Pulpamentum leporinum, tanquam inſalubre, atque humorem melancholicum generans, rejicitur; è contra verò, ab aliis, & quidem non immeritò, valdè laudatur;

Inter Quadrupedes, gloria prima Lepus. Martial.
Fœcundi leporis, ſapiens ſectabitur armos. Horat.

& tanquam Melancholiæ remedium, antidotusq; illam fugans, commendatur, ſiquidem Experientia, optima mortalium Magiſtra, nos docet, Eos, qui Leporinâ frequentius veſcuntur, non ſaltem non melancholicos, ſed potius, hilariores, alacriores & lepidiores eſſe: ut ſilentio prætercam, quod caro leporinâ, eâ veſcentibus, cutis nitorem, & elegantiorem formam, aliquot diebus duraturam, conciliare credatur, juxta illud Martialis:

Cum leporem mittis, ſemper mihi Gellia mandas,
Septem formoſus Marce diebus eris.

Apud Gallos, lepores juniores, in magno habentur pretio, maximè verò delicatiores cenſentur lepuſculi iſti, qui ſecundum, vel tertium ætatis menſem nondum excedunt;

 Plerum-

Plerumq; etiam exiſtimatur, hos lepores, qui prius fugantur, canibusq; exagitantur, illis, qui ſaltim ex inſidiis, non prius fugati, globis plumbeis petuntur & interficiuntur, vel in ipſorum latibulis & cubilibus, aut etiam laqueis capiuntur, longè eſſe delicatiores & ſapidiores.

Præterea etiam LEPUS tanquam animal pavidum & timidum, imò omnium timidisſimum diffamatur; Timiditatisq; ejus cauſa, cordis magnitudini, ſed uti videtur, jure non æquo, nec fundamento & ratione ſufficienti, adſcribitur: Ex hoc enim principio, etiam Cervus, Panthera, aliæq; beſtiæ, majori non minùs, ſi corporis proportionem conſideres, corde præditæ, leporibus quoad Timiditatem eſſent adſociandæ; Cum non deſint LEPORI Patroni, qui probare adnituntur: Eum ſuo quidem modo, aliis ferocibus animalibus, Leone ſcil. Tigride, Urſo, Lupo, Apro, &c. non eſſe timidiorem, utpote quæ ad exemplum leporis, quando ſe à venatoribus vel canibus, licet non ſemper victos & ſuperatos, ſed ſæpius ſaltim detectos & proditos, vident, fuga ſibi conſulunt, in eaq; ſalutem quærunt; imò tam audax interdum eſt lepus, ut hoſtem ſuum adpropinquantem intrepidè expectet, immotisque oculis accedentem intueri non vereatur, aliter ac cervi facere ſolent, qui ſtatis temporibus tam timidi & imbelles ſunt, ut vel minimæ caniculæ latratu, ſeſe continuo in fugam proripiant.

Legimus etiam, leporem, licet pro animali maximè timido habeatur, nihilominus tamen, ab aliis & longè fortioribus animalibus, imo ipſo Quadrupedum Rege, timeri, quandoquidem LEO ut & Cervus, modo fides habenda viris, alioquin alieno teſtimonio non indigentibus, leporem timent, ejusq; aſpectum & præſentiam horrent.

Sunt quidam tam ſuperſtitioſi, ut credant, leporem iter facientibus obviam fientem, illis malum portendere, iterq;

iterq; inauſpicatum fore: melius quidem eſt, leporem aſſatum coràm in patina ſupra menſam, & in ſua poteſtate habere, quam liberè in campo curſitantem, illum videre.

Eſt autem lepus animal maximæ utilitatis, tam in culina, quam etiam in Medicina, cum nihil in toto lepore, non exceptis etiam excrementis, reperiatur, quod ſuum non habeat in Medicina uſum, ut probatu haud difficile eſt: Multa tamen etiam in illis occurrunt, quæ Curioſis materiam admirandi, perſcrutandi, & accuratiùs inquirendi, præbere poſſunt. E. g. Quod ſit animal ruminans, Levitic. cap. 11. verſ. 6. Deuteronom. cap. 14. v. 7. & tamen ſimplicem tantum habeat ventriculum, ſecus ac in aliis animalibus ruminantibus fieri aſſolet. Cauſa ruminationis ejus, apud Anatomicos inveſtiganda & diſcenda eſt.

Democritus, Ælianus, cum illis, & poſt illos multi alii exiſtimârunt, lepores ſingulis annis ſexum ſuum mutare, quod tamen Experientia falſum eſſe comprobavit. Perhibet Archelaus & alii, lepores utriusq; ſexûs ſimul participes atque Hermaphroditos eſſe, item, absq; maſculis à ſibi ipſis concipere poſſe, quod tamen vero minimè conſonat.

Interdum reperiuntur lepores armati ſ. cornuti, ut varia exempla teſtantur, talia etiam cornua leporina interdum in Muſæis, Raritheciis & Pinacothecis, tanquam res rara & non ubivis obvia, aſſervantur & curioſis monſtrantur. In quibuſdam Regionibus, albi & nivei inveniuntur lepores, vel ſecundum anni & temporum mutationes, ſemi-albi & ſemi-gryſei. Rurſùm in aliis Provinciis, lepores duplici jecore præditi inveniri dicuntur, &c. miſſis pluribus aliis, quæ paſſim de leporibus, monſtrisq; leporinis adnotata reperiuntur, in ſpecie etiam de illo lepore bicorpore, octoque pedes & quatuor aures, duplicemque cum

 capite

capite duplici faciem habente, (non illepidè *Janum Leporinum* diceres) prope Ulmam aliquando capto, qui quando defatigatus & curſu feſſus erat, corpus cum pedibus vertit, & ſic alternatim, mutatis pedibus quoties neceſſum erat, curſum & fugam ſuam continuavit, donec à perſecutoribus ſuis liberum ſe vidit, quod quia non adeò ignotum eſſe arbitror, plura proferre ſuperſedeo.

Ego ipſe, ante paucos annos ruſticum novi, qui cum forte fortuna, in agro lepuſculos à matre, in fugam actâ, relictos inveniſſet, eosque domum ſecum portaſſet, nec quomodo eos educare deberet, gnarus eſſet, opportuno inito conſilio, feli ſuæ illos ſuppoſuit, ejusq; catulis conſociavit, quod ælurus non ſolùm ægrè non tulit, ſed etiam, quod mirum eſt, (aliâs enim etiam felibus, iſtiusmodi lepuſculi in delitiis eſſe, eosque devorare ſolent) inſtar propriorum fœtuum adamavit, lactavit, & omnis generis blandimentis eorum curam per plures ſeptimanas habuit, donec adultiores facti, illi ſubducerentur, & ad culinam raperentur.

Præter hæc & plura alia quæ de leporibus adduci poſſent, non minus rarum ac curioſum mihi videtur, quod præteritis diebus, apud Illuſtr. & Generoſum quendam Baronem audire & obſervare contigit. Narravit enim mihi, venatorem ſuum, ante tres vel quatuor dies, Leporem ſat magnum, ſclopeti ictu proſtraviſſe & in poteſtatem ſuam redegiſſe, inq; ejus penetralibus, duos magnos globos, pomum Arantium mediocre, magnitudine ferè æquantes offendiſſe; neq; venatorem, neq; alios de re hâc inſolitâ interrogatos, quid propriè eſſent, edicere potuiſſe. Et quia curioſo oculo libenter eos etiam contemplatus fuiſſem, venatori mandatum fuit, ut illos à ſe ita vocatos globos mihi tradat, ille tamen, unicum tantum, & ut referebat minorem,

rem, adtulit, dicens, alterum & quidem majorem fuiſſe perditum, & forſan ob incuriam à cane devoratum, (quanquam ego exiſtimem, hoc ſaltim Venatoris prætextum fuiſſe, ne ambos perdere, mihiq; tradere adigeretur,) exiſtimabat enim & jam ab aliis ſuæ artis cultoribus intellexerat, ejusmodi globos ſive pilas, non ſolùm admodum raras, ſed inſuper etiam, haud vilipendendarum virtutum & Ægagropilis non tam æquiparandas, quam anteferendas eſſe.

Interrogatus Venator de omnibus circumſtantiis circa hoc negotium neceſſariis, quomodo nempe res ipſa cum his globis ſeu pilis reverà ſe habuiſſet? utrum plures tales in aliis etiam leporibus unquam vidiſſet? quo in loco intra leporem delituiſſent? ubi, & quibus partibus adnatæ & alligatæ fuiſſent ſeu adhæſiſſent? in qua corporis parte lepus, ab eo plumbo petitus, ictum accepiſſet? &c. Cum obteſtatione reſpondit, leporem, in poſteriori crure, absq; ulla cavitatis corporis læſione, vulneratum fuiſſe, poſt apertionem verò, & inſtituta exenteratione, præſentem hunc ut vocabat globum, ex gyris & plicaturis inteſtinorum, ſibi ſponte, & ſine omni, etiam minima adhibita violentiâ aut tractione, in manus incidiſſe, alium verò proximè ad ventriculum, ſitum ſuum habuiſſe: Quid autem propriè ſit, ſe prorſus ignorare, nec unquam tale quid obſervaſſe, licet non centum tantùm lepores per vitam ſuam cœpiſſet atque exenteràſſet, præterea alium ſenem Venatorem ſibi dixiſſe, ſe pariter nunquam tale phænomenon obſervaſſe, atque exiſtimare, hoc valde rarum eſſe, huncque globum, ad multa utilem fore, Venatorum enim hæc gens, multas fovet ſuperſtitiones, ut notum eſt.

Poſtquam igitur præſentem pilam ſive globum non prorſus rotundum, quoad externa probè contemplatus fuiſſem, tactu etiam durum, ac ſi ligneum vel oſſeum quid

intus

intus latitaret, animadvertiſſem; cultro tandem aliqualem inciſionem per membranam feci, & ſtatim piloſi quid in conſpectum venit, ita ut primo intuitu crediderim, nihil aliud quam ex pilis & variis fibrillis, filamentis & ſtaminibus compactam & conglobatam maſſam vel tophum, (quales non ſolùm in Damis & Rupicapris, verùm etiam in variorum aliorum animalium, vaccarum ſcil. boum, &c. ventriculis, aliquando etiam in equis reperiuntur) membrana obductum eſſe: Poſtquam vero inciſionem magis dilataſſem, erroneam me foviſſe opinionem deprehendi, Lepuſculus enim perfectisſimus, ſitu per-eleganti, involucro membranaceo, tanquam thecæ incluſus, ſe prodidit & omnium conſpectui ſeſe obtulit, quemadmodum hîc coràm videtur. Quod meo quidem judicio infrequens & rarum eſſe cenſeo, & Curioſis materiam percontandi & indagandi ſuppeditare poteſt. Rarum enim puto, hoſce lepuſculos, (credo enim rem cum altero ſic dicto globo, non aliter ac cum hoc præſente ſe habuiſſe) extra uterum, inter inteſtina & prope ventriculum, repertos, nullibique ut Venator teſtatur, adnatos fuiſſe.

Quæſtio hîc oritur: *Utrum etiam extra uterum & genitale arvum, quod ordinaria naturæ lege huic officio deſtinatur, Conceptio & Conformatio, fieri; & an aliæ etiam corporis cavitates, uteri vices ſupplere valeant, matricisq; vicariæ eſſe poſſint?*

Hâc vice quidem nec animus mihi, nec etiam hujus loci eſt, quæſtionem hanc decidere ac determinare, quanquam ob paulò inferius adducenda, non valdè dubitandum ſit; & ea, quæ in obſcuris rebus veriſimilia videntur, eatenus pro veris offerre licet, donec manifeſtè de eorum falſitate conſtiterit, (optarem quidem, ut ipſemet leporem prægnantem, omnesq; circumſtantias propriis & non alie-

nis

nis oculis intueri ac perpendere, remq; pro caſus raritate, accuratius *examinare*, & interiora leporis rimari potuiſſem; quia tamen venator hic, non eſt ex cœtu nugivendulorum, aliâsq; quantum ego novi, præter morem gentis, homo modeſtus, ab illuſtr.mo etiam Domino ſuo veritatem dicere ſeriò juſſus eſt, igitur de fide ejus minus erit dubitandum,) ſed ſaltim hic indicabo, quomodo interdum Natura, admiranda, inaudita vixq; credibilia machinari & efficere ſoleat, unicuique tamen ſuum judicium liberum relinquam.

Apud Auctores, præſertim Anatomicos paſſim exempla *Conceptionis Tubariæ*, literis conſignata reperiuntur, quod quidem adeò mirum non eſt, (imò ſi recentioribus Anatomicis, eorumq; inventis & circa generationem accuratisſimis inveſtigationibus fides habenda, *Conceptio non in utero, ſed primùm & primariò in Tubis uterinis fit*,) extra uterum verò ejusque Tubas, ut de fœtu Aurelianenſi, extra uterum offenſo, uteroq; prorſus illæſo reperto perhibetur; itemque in aliis corporis cavitatibus Conceptionem fieri poſſe vel etiam factam eſſe, fidem ferè ſuperat & incredibile videretur, niſi magni atq; doctiſſimi viri, adhuc partim aurâ vitali fruentes, de quorum fide & ſinceritate dubitare velle, temerarium imò nefas eſſet, verisſimas ejusmodi hiſtorias, poſteritati literis conſignaſſent.

Fribergæ in Miſnia, mulier quædam, violento vomitu perfectam felim, in ventriculo ejus conceptam & efformatam, per os evomuit; ex cujus oſſibus D.D. Tobias Matthæi, Loci Phyſicus, deinde ſceleton confecit, quod ſceleton, unà cum aliis, Excellentiſſimus etiam D. D. Joh. Fr. Bilgerus, (proh! quem virum hic nomino) Campidunenſium, totiusq; Algaviæ, &c. Podalirius, fautor maxime honorandus, vidit & contemplatus eſt.

Præfatus Dr. Matthæi, tunc etiam narravit, ſe anſerculum vivum, ex utero mulieris progredientem, habuiſſe,

buiſſe, illumque Sereniſſimo Electori ſuo &c. Dreſdam transmiſiſſe.

Ante quadraginta circiter & quod excurrit annos, in Diœceſi Herbipolenſi, Puero ſeptenni, intra ſcrotum, animalculum vivum, feli ſimillimum, enatum eſt.

Ante centum annos, nempe 1580. Hanoveræ, ſartor quidam nomine Albertus Henke, poſt diuturnos vehementesque perpeſſos dolores, tandem una cum pluribus ſordibus, duos etiam catellos albos vivos, adhucdum cœcos & circumrepentes, brevi tamen morientes, vomitu rejecit, & poſtea iterum convaluit. Alia vice, alioq; in loco, Vir octuagenarius, itidem duos ejusmodi catulos evomuit.

Anno 1638. Illuſtr.ma Comitiſſa Budiani, referente D. D. Spindlero, mulierem à cane rabido demorſam, ultra octodecim fruſta carnea albicantia, catellisque nuper natis per omnia quam ſimillima, per vomitum ejeciſſe propriis ſuis oculis vidit.

Anno 1666. in Friſia Orientali, non procul à civitate Embda, in pago Rieſum, in cujusdam Balænarum Captoris, Grœnlandiamque frequentantis, maximis doloribus & tumoribus excruciati, tandem etiam enecati, poſtque fatum aperti, ventriculo, fœtus monſtroſus, cani marino apprime ſimilis, totusq; piloſus, ventriculique fundo arctè adnatus, repertus fuit, quem D. D. Tilingius P. P. Med. ſeipſum vidiſſe teſtatur.

D. D. Thomas Bartholinus, variis in locis ſuorum ſcriptorum narrat, cattum in arce Fridericiburgenſi, ſuma cum adſtantium & ſpectantium admiratione & ſtupore, fœtus ſuos felinos, ex ventriculo per os eructâſſe, objectionibusq; ſibi factis, ſatisfacit.

Conjux nobilis cujusdam Galli, poſt vehementes chronicos

nicoſque dolores, piſciculum tandem vivum, ſex digitos longum, per os excrevit.

Salmuth hiſtoriam refert de muliere, nefando, execrabili & igne expiando congreſſu in ventriculo concipiente, & per os embryonem pariente ſive potius abortiente, qui quidem embryo ſive abortus, ob denegatam diuturniorem in ventriculo moram, longitudine digitum vix excedebat.

Supra citatus D. D. Thomas Bartholinus, in ſectione Turſionis, fœtum in inteſtinis reperit.

Ante quatuor circiter annos, in Raickendorff ad Danubium, Ditionis Ill.mi Comitis Forgatſchii, puer quinquennis, poſt atrociſſimos dolores & ventris tormina, benè formatum catellum, membranæ incluſum, per inferius Plautinianum guttur rejecit.

Notæ ſunt hiſtoriæ illorum & illarum, quæ piſciculos, glires, bufones, ranas, rubetas, ſerpentes, ſalamandras, aliaque ejusmodi animalcula, vel vomitu rejecerunt, vel etiam per uterum, interdum unà cum embryonibus excreverunt.

In conſideratione igitur horum caſuum, non opus erit tanta admiratione, ſi etiam præſens hic lepuſculus extra uterum conceptus & efformatus dicatur, præſertim cum etiam in digitis, tanquam loco, longè minus idoneo, piſciculi generari potuerint; Meminit enim quidam, piſcatori cuidam prope Monspelienſem urbem, à piſce, Raſcaſſe dicto, apudque Rondeletium deſcripto, ſpinâ, ſive aculeo digitum fuiſſe vulneratum, ſubſequente maximo tumore & dolore, nullis remediis ſuperabili; aperto tandem tumore, in medio ejus optimè formatum piſciculum, ei ſimillimum, qui læſionis in digito cauſa extiterat, ſe obtuliſſe, quod valdè rarum & notatu digniſſimum eſt. Similem etiam Hiſtoriam deſcribit celeberrimus Gaſſendus,

 quod

quod Frontiniaci, piſcatori ſpinula ſcorpionis marini, digito infixa remanſerit, eoque res devenerit, ut poſt tumoris apertionem, Chirurgus tres ejusmodi piſciculos ſive ſcorpiones marinos ex digito extrahere potuerit. De Dracunculis ſive Crinonibus, h. e. vermiculis illis longisſimis ſubcutaneis, craſſitie capillum vel tenue filum æquantibus, ac nonnullis Nationibus & Regionibus Indicis familiaribus, Rerum Indicarum Scriptores adeundi ſunt, vel doctisſimus de Vena Medinenſi Tractatus, D. Georgii Hieronymi Velſchii, p. m. aliique.

In conſideratione itaque prædictorum, non opus eſt ut dixi, tanta admiratione, circa *conceptionem extra-uterinam*; inprimis quando uterus, præter locum aptum & calorem foventem, ad generationem nihil confert, ſicut nec ovi teſta ad pulli conformationem, ſolumque ut nonnullis placet, ad recipiendum, & extra corpus amandandum ſanguinem ſuperfluum, à Natura ordinatus eſt: ſed hoc magis nos ſollicitos habere debet, quomodo ſemen ſ. ſperma (ſive *materialiter* & reverà, ſive *virtualiter* & ſaltim *ſeminalis aura* ſive *contagium prolificum*, ſecundum illos, qui *generationem immaterialem* ſtatuunt) maſculi, (*utrum ad cõceptionem & generationem etiam ſemen muliebre neceſſarium ſit nec ne, & quemnam uſum habeat*? hujus loci non eſt inquirere, & meliori occaſioni ſententiam noſtram reſervamus) illuc, nempe ad vẽtriculum usq; & inter inteſtina pertingere potuerit? aliter quidem fieri haud potuit, quam, ſi conjecturis locus conceditur, quod uterus vel ejus tubæ ex accidenti fuerint læſæ & perforatæ, ita ut vel ſperma, vel aliquo modo jam adumbratus & formatus fœtus tranſire & in alium locum excidere potuerit.

Et ſic nova denuò oritur quæſtio, quomodo nempe lepuſculus hic extra uterum nutriri potuerit, quia omnia ordi-

ordinario Naturæ curſui fuêre contraria ? certos quosdam ductus ſive vaſa, pro nutritione, aut à ventriculo aut ab inteſtinis, vel aliorſum ad fœtus hos pertigiſſe, dubium vix remanet ullum, licet nullum hujus rei indicium animadvertere potuerim; niſi quis obtinere vellet, rem circa nutritionem hîc aliter non ſe habuiſſe, quam quomodo cum pullis gallinaceis, teſtis adhuc incluſis, ſe habere ſoleat, quod tamen creditu difficile; ſiquidem nulla nec minima etiam humiditas, neque mucor quidam, ſeſe obtulit, ſed omnia ſicca & arida, imò planè dura ſe præſentârunt, quod ideò magis mirum, quia cœterùm omnes fœtus leporini, in utero, iſtiusmodi velamentis, in quibus tamen humiditas quædam (quæ hic deerat) reperiri ſolet, circumdati ſunt. Et quando talis humiditas præſens fuiſſet, iterùm admirandum eſſet, cur nulla corruptio, vel putredo, vel ſaltim mollitudo lepuſculi ſubſequuta ſit, quod quidem lege naturæ fieri debuiſſet; ſed, ut dictum, omnia dura & ſicca inventa ſunt, ita ut non immeritò *Mumia Leporina* vocari mereretur.

Alienum etiam videtur, lepuſculum hunc tam perfectum, pilisque tam longis, ac ſi aliquot jam menſes compleviſſet, obſitum eſſe: Cum tamen, quantum ego quidem ſcio, iſtiusmodi piloſa & hirſuta animalia, ut etiam canes, &c. pilis quidem prædita, in lucem edi, eorum tamen pili valde breves, ſecus ac hic factum, eſſe ſoleant.

Cum igitur lepores hi extra uterum, conſuetum aliâs & à natura generationi & conceptioni dicatum locum, ut oſtendimus, reperti ſint; nova iterum oritur difficultas, quomodo nempe à matre in lucem edi potuiſſent? quoniam nullam prorſùs cum locis genitalibus habuerunt communicationem, & non, niſi cum magnis conatibus, doloribus & dilacerationibus partium internarum, illic

pervenire potuiſſent: Quia tamen in iſtiusmodi raris caſibus, Natura ſibi ipſi, variis & admirandis modis conſulere, inſolitasque partûs vias, per abdomen, umbilicum, ilia, hypochondria, anum, os, &c. quærere ac parare ſolet, ut exempla docent, quæ jam adducere ſuperfluum eſſet, & apud Auctores legi poſſunt; etiam hîc, totum opus Naturæ directioni fuiſſet committendum.

Tandem etiam quæri poſſet, utrum præſens lepuſculus, pro monſtro, vel monſtroſo fœtu ſit habendus? Reſponderem negativè, ſiquidem, quantum animadverti poteſt, totus & ſecundum omnes partes perfectus, & ſine omni vitio, quod aliqualem monſtroſitatem arguere poſſet, conſpectui omnium ſe ſiſtit, illudque quod matri præter Naturæ conſuetam methodum accidit, fœtui vitio verti, eique tanquam monſtroſum quid imputari non poteſt: Eſt itaque, non comunis, ſed propter allegatas rationes, rarus, curioſus, nulloque modo monſtroſus lepus, niſi in ulteriori ejus explicatione vel extenſione aliquid novi occurrat, quod tamen vix credibile.

Videtur quidem, uti etiam ſuperius dictum eſt, unum vel alterum hactenus dictorũ fidem ſuperare, incredibile & impoſſibile eſſe, ſi verò admirãdos Naturæ luſus & effectus accuratius rimari velimus, longe mirabiliora magisque incredibilia, revera tamen facta, ſeſe nobis offerent.

Notiores ſunt hiſtoriæ de fœtu Muſſipontano lapideſcente, de Lithopædio Senonenſi, Oſtento Dolano, &c. quam quod hic adduci mereantur: nec curioſos fugit aliquando embryonem, utero materno adhuc incluſum, alio embryone fuiſſe gravidum, Cancros in Cancris repertos, lumbricos aliis lumbricis fœtos, ova ovis prægnantia, pyra in pyris, &c. inventa & in mula neonata, aliam mulam obſervatam fuiſſe. De muribus etiam à viris magni nominis atq; doctiſ-

doctiſſimis perhibetur, eos adhuc in utero deliteſcentes, aliis muſculis jam prægnantes inveniri. An vero experientiæ reſpondeat, dubitandum.

Quæ omnia, propoſitum quidem, aſt jam transgreſſum brevitatis ſtudium, pro nunc fuſiùs pertractare vetat: tantum etiam raptim, ſine convenienti præmeditatione, aliis occupationibus irretitus, hac occaſione, curioſitatis gratia pro ingenii modulo conſignare, accuratioriq; M. & A. V. examini & judicio limatiſſimo, debita cum obſervantia offerre, deque recuperata valetudine animitùs gratulari, & ut diuturna conſtansque ſit, precari, & ſi forſan ob feſtinationem erratum fuerit, benignam cenſuram rogare, me autem meaq; ſtudia M. & A. V. perennanti favori commendare volui. Dabam è Muſæo, Ulmæ Suevorum, d. 14. Novembris, M. DC. LXXX.

M. & A. V.

Addict.

PETRUS Rommel / D.